

quotannis^m ducatos quinquaginta eidem nostro receptori numerabis ex pacto similiter dudum inter quondam reverendos nostros priores Bohemię mutuo consensu Rhodi conscripto et nunc quoque per eundem nuncium de rato promittentem roborato. Alioquin sit hec nostra collatio invalida et sine viribus. His vero conditionibus omnibus per te approbatis et secundum consuetudinem religiosorum nostrorum iuratis nec alio modo post universis et singulis commendatariis, fratribus et sororibus ordinis nostri in virtuteⁿ promissę nobis et debite^o superioribus^o obedientię ac sub pena privationis beneficiorum, quę possident, necnon dicti prioratus vassallis et subditis in vim fidelitatis et homagii, quo nobis et religioni nostrę sunt astricti, præcipimus et mandamus, ut tibi tanquam legitimo et canonico priori obedienter pareant iuxta normam et præceptum statutorum nostrorum in omnibus concernentibus utilitatem prioratus, quotiescunque eos admonendos aut invocandos duxeris, committentes propterea cuicumque ordinis nostri fratri abs te primum de hoc adpellato^p, ut te vel legitimum tuum procuratorem in pacificam et quietam possessionem dicti prioratus cum quibuscunque ad eundem pertinentibus inducat inductumque conservet tibi efficacia defensionis auxilio auctoritate nostra adsistens^q. Deque redditibus, fructibus et proventibus omnibus agnosci te procuret a subditis pulso inde quolibet alio, si quis fuerit, illicito occupatore, quem nos ut illicitum iniustumque detentorem harum auctoritate amovemus amovendumque decernimus, salvo semper in omnibus et illibatis prerogativis ac preeminentiis^r magistralibus, et hoc etiam excepto, quod nihil de his, quecunque ad dictum prioratum pertinent, vendas, dones, alienes seu in emphiteosim perpetuam vel alias ad tempus concedas sine expressa capituli generalis et nostra licentia. Quod si feceris, irritum sit hoc factum tuum et invalidum. In cuius rei testimonium bulla nostra comunis plumbea presentibus est appensa. Datum Melitę in conventu nostro die vigesima Septembris millesimo quingentesimo trigesimo quinto. — *Auf der Plica unten links* R(egistra)ta in cancell(aria), *rechts* F(rater) Thomas Bosius vicecancell(arius), *bei der Neuausfertigung* F(rater) M(artinus) Roias de Portalru(bi)o vicecancell(arius).

m) quotannis 2577 n) virtutem 2577 o) superioribus 2577 p) appellato
2575 q) assistens 2575 r) preminentiiis 2577